



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLI. Continuatio ejusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

imò quibuscum nobis dissensio, vel inimicitia intercedebat: unde nemo est contemnendus, vel offendendus. Præterea cura, ne tibi eveniat idem, quod Judæis; & sicut Samaritanus leprosus cum aliis novem Judæis à lepra mundatus, eos gratitudine superavit Luc. 17. v. 17. & sicut iste superavit Sacerdotem & Levitam Misericordiâ; sic te iisdem, vel aliis Virtutibus superent Sæculares, quibus nec fides, nec educatio tantum præsidij dedit ad Virtutem, quantum tibi.

MEDITATIO CCCLI.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Luc. 10. v. 34.

PUNCTUM I. *Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum, & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam illius egit.* Luc. 10. v. 34. Iste misericors Samaritanus est Figura, & Typus Christi, de Cælo appropians Humano Genere, propter peccatum originale, & deinde frequenter etiam propter peccata actualia, omnibus Bonis supernaturalibus spoliato, & plagis impositis semivivorelictus. Nam Christus Prædicatione Pænitentia, & Divina Justitiæ (cui etiam acerbissima Passione satisfecit) comminatione vinum infudit in vulnera peccatorum cum oleo Misericordiæ, quam ipse Genere Humano exhibuit, & quam etiam pænitentibus promisit: deinde alligavit vulnera, saluberrimis præceptis ea restringens, & vinculis Charitatis obligans: præterea imposuit in jumentum suum; Ut tale enim tractat

tractavit, & tractari voluit Carnem & Corpus suum, dum in stabulo illud collocavit, flagris subjecit, & in Cruce tandem immolavit. Ideo Isaias. c. 63. v. 9. ait: *In Dilectione sua, & in Indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos.* Duxit quoque in stabulum, id est, in hospitium, ubi viatores divertunt, & quiescunt, quodque omnibus patet, nempe in Ecclesiam, ubi ipse eorum, quorum Anima vulnerata est, curam gerit, & alios, ut eandem gerant, constituit. Quantum huic misericordissimo Samaritano Charitatis & Gratitude debet? Quanto studio etiam illum imitaberis? Si Superior es, infunde in vulnera Subditorum vinum & oleum, id est, Severitatem & Clementiam. Si non es Superior, saltem Correctione Fraternali timorem Justitiæ, & spem Misericordiæ Divinæ vulneratis infunde; & peccata, ac defectus aliorum supportans, vel etiam in corpore tuo expians, quasi jumento impone; atque sic curam Proximi habe.

PUNCT. II. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.* v. 35. Duobus denarijs designatur plenus numerus Præmiorum tum Cælestium, tum terrestrium; vel tum Spirituum, tum corporalium Bonorum. Quanta hæc sunt Præmia, reddenda pro debitis officijs Charitatis erga Proximum! Ultra hæc officia, propter Opera Supererogatoria: *Quodcunque supererogaveris: promittitur adhuc amplior Remuneratio præstanda à Christo, cum redierit in extremo die Judicij, quando reddet unicuique juxta Opera sua.*

PUNCT. III. *Quis horum videtur tibi Proximus fuisse*

fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit *Misericordiam in illum. Et ait illi JESVS: Vade, & tu fac similiter. v. 36.* Hæc est responsio ad illam quæstionem Legisperiti: *Quis est meus Proximus?* Misericordiam enim Samaritani erga incidentem in latrones, de qua Christus in Parabola aliud non expressit, quàm (*Homo quidam*) ab ipso Legisperito agnita ut laudabilis, facta testata est, omnem hominem esse nostrum Proximum. Et quia per illum Samaritanum Christus ipse præfiguratur; si Christus Filius DEI unumquemque hominem peccato originali, vel actuali vulneratum pro Proximo suo habuit, an non consequens est, & nobis etiam quemvis hominem ut Proximum habendum, & amandum esse? *Vade ergo, & tu fac similiter.* Et motivum Amoris aliud non require, quàm quia *Homo quidam* similitudine Naturæ, ab eodem Patre Cælesti per Creationem, & ab eodem Redemptore per Sanguinis profusionem tibi conjunctissimus: etiam si nec sit Nobilis, nec Dives, nec Pulcher, nec Doctus, nec Beneficus; neque aliud Amoris epitheton addi sibi mereatur.

MEDITATIO CCCLII.

*Martha & Magdalena Christum
hospitio excipiunt. Luc. 10. v. 38.*

PUNCTUM I. *Factum est autem, dum irent (Judæam peragrando) & ipse intravit in quoddam castellum (Bethaniam) & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: & huic erat soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat Verbum illius.*